LAVRENTII HEISTERI
EPISTOLA
DE
MORTE SILII ITALICI
CELEBRIS POETAE ET ORATORIS
EX
CLAVO INSANABILI.

NOBILISSIMO ORNATISSIMOQVE VIRO

IO. THEOPHILO RAVPBACHIO

MEDICINAE D^o. PRAESTANTISSIMO

S. P. D.

LAVRENTIVS HEISTERVS

CVm tuam, mi *Raupbachi*, dissertationem de CLAVO HAEMORRHOIDALI, perlegerim, in mentem mihi veniebat, me olim in C. PLINII CAECILII SECVNDI epistolis elegantissimis legisse Lib. III Epist. 7. SILIVM ITALICVM, celebrem illum oratorem & Poetam, ut & consulem Romanum, qui secundum bellum Punicum versibus descripsit sive metro complexus est, ex *clavo insanabili* mortuum esse. verba suavissimi PLINII nostri haec sunt:

CAIVS PLINIVS CANINIO RVFO S.

„Modo nunciatus est SILIVS ITALICVS in Neapolitano „suo inedia vitam finisse. caussa mortis, valetudo. Erat „illi natus *insanabilis clavus*, cuius taedio ad mortem irre- „vocabili constantia decurrit. a)

Quoniam vero PLINIVS tam simpliciter refert, SILIVM ex insanabili clavo obiisse, & morbi, qui *clavi* Medicis appellantur, varii iique diversissimi sunt, ut in Tua iam dissertatione egregie exposuisti; PLINIVS vero noster non addidit ex qua specie clavi vitam deposuerit, dubium revera haud leve mihi ortum est, quisnam ille clavus insanabilis fuerit, qui ITALICVM nostrum interfecerit.

Confugi quidem mox ad commentatorem sive notas, PLINII epistolis adiectas, ut ex eis, qualis hic clavus fuerit, intelligerem: atque cum ea tunc editione uterer,

 quam

a) In quibusdam exemplaribus legitur *decucurrit*.

quam IACOBVS THOMASIVS recensuit, quaeque revisa Halae Saxonum in 8. An. MDCLXXXVI prodiit deprehendi ibi haec verba.

Corn. Celsus: Clavus verrucae non dissimilis, non„nunquam alibi, sed in pedibus maxime nascitur, prae„cipue ex contuso, quamvis interdum aliter, doloremque „que si non alias, ingredienti tamen movet. Sine cura„tione vix unquam desinit. a) *Nascuntur & albo oculi „callosa tubercula*, *quos* clavos *a similitudine figurae idem „vocat.* b)„ Consului deinde & alios eius commentatores, & nominatim quidem *Catanaeum* & *Cellarium*; verum nihil plus lucis in his, quam in illo inveni.

Manifestum vero est ex dictis commentatores PLINII, cum perspexerint CORN. CELSVM, Medicorum *Ciceronem* vulgo dictum, iam duplex genus morbi, clavi nomine donasse, alterum scilicet pedis, alterum oculi morbum, dubios haesisse, utrum SILIVS ITALICVS ex clavo pedis, an ex clavo oculi vita defunctus sit: quia PLINIVS hoc non indicavit, nihilque addidit, ex quo hoc perspici aut intelligi clare possit. Idcirco incertus fui cum illis, quo morbi genere ITALICVS interierit; dolendumque profecto est, scriptores multos, praesertim veteres, ceterum sapientissimos, atque praestantissimos, nonnullas res saepe tam obscure & imperfecte descripsisse, ut nemo, quid scribere aut indicare voluerint, certus intelligat.

Suspicari quidem primo intuitu poterit, mortem hanc *clavo pedis* prae aliis tribuendam esse; quia vocabulum clavi in medica significatione utplurimum & saepissime hoc sensu usurpatur: dum clavi pedum frequentissime occurrunt, & pauci deprehenduntur homines, qui non subinde eis vexentur, vel saltem olim afflicti fuerint.

Imo

a) Verba haec leguntur in *Celsi* lib. V. cap. 28. n. 14.
b) Haec lib. 7. cap. 7. n. 12.

Imo hanc fufpicionem roborare poteft, quod faepe obfervatum fit, homines ex clavo pedum, praefertim minus cauta aut improvida fectione irritato, unde inflammatio & gangrena motae funt, mortuos effe: quemadmodum praeter exempla, quae legi poffunt apud HILDANVM a) BORELLVM, b) ZITTMANNVM c) aliosque, mihi etiam unum alterumve recens notum eft, ac praefertim in verbi divini miniftro, pagi cuiusdam vicini, qui ex clavo pedis incaute incifo fuperioribus annis mifere periit. ut taceam nunc exemplum illuftris ac celeberrimi PVFENDORFII, qui, ut fama fert, quoque ex eiusmodi clavi refectione vitam finire coactus eft, vita longiori digniffimus.

Verum variae funt rationes, quae, quo minus credam, SILIVM ex clavo pedis mortuum effe, impediunt. Nam primo de pedis morbo PLINIVS nullam hic mentionem facit; deinde clavus pedis vix dolores, nifi ingredientibus mouet, ut ipfe CELSVS monet, adeoque eft morbus levis, facile tolerandus, imo, qui a multis pro morbo vix habetur, fed a plerisque prorfus negligitur. Praeterea haud verifimile eft, virum prudentem, qualis SILIVS fuit, ob tam levem morbum five dolorem, quem clavus pedis concitat, & qui vel fola quiete vinci, vel faltem ita temperari poteft, ut facile perferri queat, inedia, quae hoc in malo prodeffe nequit, fe ita excruciaffe, ut vitam inde perdiderit. Accedit quod clavi pedum mortem haud inferant, nifi fectione incauta vel arfenico, acerrimo rodente veneno, quo nonnulli eos tollere ftuduerunt, irritati & vicini nervi vel tendines ita inde laefi fuerint, ut gangraenam & fphacelum induxerint, quemadmodum obfervationes fupra indicatae teftantur. Verum nullius eiusmodi rei meminit PLINIVS; quod

a) Cent. VI. obf. 100. b) Cent. I. obf. 82. c) Cent. IV. obf. 70.

tamen, si quid tale contigiſſet, quia factum notatu di-gniſſimum hic fuiſſet, eum feciſſe exiſtimo. Praeter haec illo tempore iam apta ſatis remedia ad hos clavos tollendos aut dolores ſaltem auferendos nota erant. CELSI enim conſilium eſt *lib. V. c. 28. n. 14. clavum ſubinde radere, ita enim ſine ulla vi ipſum molleſcere:* id quod revera optimum & commodiſſimum contra dolores eorum eſt remedium, inprimis quando pes, antequam clavus radatur, per aliquot tempus calidae immittatur, ut melius molleſcat. Hoc enim facto, dolores mox minui, imo prorſus tolli, & in me ipſo & in aliis multoties expertus ſum. Aliud praeterea remedium adhuc ibidem in verbis mox ſequentibus commendat CELSVS, quando ait: *Tollitur etiam* (clavus) *ſiquis eum circum purgat, deinde imponit reſinam, cui miſcuit pulveris paululum, quem ex lapide molari contrito fecit;* nam revera reſinae egregia in clavis pedum ſunt remedia, duritiemque eorum, quae dolores movet, optime emolliunt, ut ſic poſtea, ſi lubet, radendo tanto facilius & ſecurius tolli queant. Itaque ubi efficaciſſima ad clavos pedum remedia cognita erant, imo ubi ſola quies dolores tollit, aut ſaltem potentiſſime lenit, ut non amplius laedant, induci non poſſum ut credam, virum adeo illuſtrem & prudentem ob leviſſimum dolorem inedia ſe ipſum interfeciſſe.

Eaedem fere rationes etiam eorum impugnant ſententiam, qui putant, SILIVM ex *clavo oculi* mortuum eſſe: nec ulla adeſt, quae hanc ſententiam melius probet aut confirmet, quam quod ex *pedis clavo* perierit. Itaque ſi in re adeo obſcura coniecturis, probabilibus tamen & ex rebus adiunctis depromtis, uti licet, mihi, longe veriſimilius videtur *clavum capitis* SILII noſtri morbum fuiſſe. Scribit enim PLINIVS: *cauſſa mortis, valetudo;* hoc eſt, valetudo adverſa, ſive morbus. Iam vero ſupra indicatum eſt, clavum pedis vix pro morbo a plerisque haberi; nemo

enim

enim propterea lectum servat, sed solum pro levi quodam incommodo; eosque rideremus, qui pro aegrotis ob clavum pedis se haberi velint. Imo pro stultis haberemus illos, qui propterea inedia, quae hic frustra adhiberetur, se misere excruciare vellent: praesertim cum dolores non sint tanti. quare potius iudicare inde licet, graviorem valetudinem sive morbum hic adfuisse. Idem fere etiam de *clavo oculi* iudicium esto.

Verum clavus capitis, ut alii quidam capitis dolores, est saevissimus saepe atque acerbissimus, qui recte ac merito cum PLINIO *valetudo*, eaque gravis appellari potest; cuius vehementia saepe tanta, ut homines fere in desperationem imo aliquando in furorem agat: ut quamplurima a Medicis observata & notata sunt exempla. Hinc mirum non est, si & SILIO nostro tantus fuerit dolor, isque adeo vehemens, ut nullis omnino remediis cedere voluerit, sed, ut PLINIVS scribit, *insanabilis natus* sive factus sit, ut ex taedio huius acerbissimi & insanabilis morbi in mortem irrevocabili constantia decurrerit. Notum praeterea est ex scriptoribus quamplurimis veteres in morbis multis eisque gravioribus curandis frequentissime inedia usos fuisse: cuius effectus tam ex illis, quam potissimum ex docta illustr. FR. HOFFMANNI de *inedia magnorum morborum remedio*, dissertatione prolixius videri potest. Quando vero viderunt, neque hac aliquid effici posse, & morbum summis doloribus stipatum, insanabilem esse, tandem taedio vitae, & ut se ab acerbissimis doloribus liberarent, inediam usque ad vitae finem continuasse. Ita enim hoc iam antea fecit CORELLIVS RVFVS, vir summus, quem idem PLINIVS Lib. I. epist. XII. quam acerbissime deplorat, *quum incredibiles cruciatus & indignissima*, ut ait, *tormenta pateretur, quae omnia membra pervagabantur. Hanc valetudinem primo temerantia mitigare tentavit*: sed cum in tam longa

&

& tam iniqua, ut PLINIVS ait, valetudine, illa nihil efficere poterat, atque *valetudo potius increverat*, inedia tandem vitam quoque finivit. Atque eodem fere prorſus modo, easdemque etiam ob cauſſas, acerbiſſimos nimirum dolores, iam ante hos vitam cum morte commutavit, cum ſine ſpe ſalutis eſſet, magnus ille ATTICVS: ut in vita ipſius apud CORN. NEPOTEM haud ſine animi commotione legi poteſt. Igitur ex his conſtare opinor, SILIVM potius clavo capitis, quam clavo oculi aut pedis laboraſſe.

Hoc unicum vero meae ſententiae quam maxime obſtare & obiici poſſe puto, quod apud CELSVM aliosque veteres autores vocabulum CLAVI non manifeſte pro morbo capitis uſurpetur. Fateor quidem, me alium locum quam hunc PLINII, licet forte ſint, iam reperire non potuiſſe. Interea tamen VALESCVS *de Taranta*, Medicus, qui circa annum 1350 vixit, celeberrimus, Cap. I. de dolore capitis, ubi differentias eius recenſet, clavum capitis non ut novam differentiam, ſed quae a Medicis diu recepta eſſet, recenſet. Praeterea notum eſt, multorum vocabulorum apud veteres ſcriptores ſignificationem e ſenſu eſſe eruendam. Cum itaque & hic commentatores PLINII, praeſertim quia Medici non erant, invenire aut determinare non potuerint, quo clavo SILIVS laboraverit, ego vero ex rebus circumſtantibus mihi eviciſſe videor, eum neque pedis neque oculi, ſed capitis clavum fuiſſe, ſequitur hunc PLINIVM primum forte vel ſaltem ex primis fuiſſe, qui hoc vocabulum hoc ſenſu adhibuerit, quia reliquae ſignificationes hic non quadrant. Atque haec ſunt *Raupbachi* dilectiſſime, quae hac de re nunc ad Te ſcribere volui. Nihil ſupereſt, quam ut de honoribus Doctoris, quos proxime conſecuturus eſt, ex animo Tibi gratuler, atque proſpera quaeque Tibi apprecer. Vale & me ama.

Dab. Helmſtadii Saxonum d. XXVIII. Dec.
MDCCXXXIV.

❧) o (❧